

sunt. Quid enim? ad amicosne confugiam? quam multi sunt? habuimus enim fere communes: quorum alii occiderunt, alii nescio quo pacto obdurerunt. Tecum vivere possem equidem, et maxime vellem: vetustas amor, consuetudo, studia paria; quod vinculum quasi est nostrae conjunctionis. Possumusne igitur esse unà? nec mehercule intelligo, quid impediat; sed certe adhuc non fuimus, cum essemus vicini in Tusculano, in Puteolano: nam quid dicam in urbe? in qua cum forum commune sit, vicinitas non requiritur. Sed casu nescio quo, in ea tempora nostra aetas incidit, ut cum maxime florere nos oporteret, tum vivere etiam puderet. Quod enim mihi poterat esse perfugium, spoliato et domesticis et forensibus ornamentis atque solatiis? Litterae credo, quibus utor assidue: quid enim aliud facere possum? Sed nescio, quo modo ipsae illae excludere me a portu et perfugio videntur, et quasi exprobrare, quod in ea vita maneam, in qua nihil insit, nisi propagatio miserrimi temporis. Hic tu ea me abesse urbe miraris, in qua domus nihil delectare possit, summum sit odium temporum, hominum, fori, curiae? Itaque sic litteris utor, in quibus consumo omne tempus, non ut ab his medicinam perpetuam, sed ut exiguam doloris oblivionem petam. Quod si id egissemus ego atque tu (quod ne in mentem quidem nobis veniebat, propter quotidianos metus), omne tempus unà fuisset; neque me valetudo tua offenderet, neque te moeror meus. Quod, quantum fieri poterit, consequamur: quid enim est utrique nostrum aptius? prope diem te igitur videbo. Vale.

XXI. M. CICERO T. FADIO S. D.

•T. Fadium, iudicio damnatum, et ideo exsulem, consolatur a miseria communi, et virtute propria; nec non a commodis exsilii, quo liber sit ab impendentibus malis; tandem ab innocentiae testimonio: quibus sua adjungit officia. •

•Etsi egomet, qui te consolari cupio, consolandus ipse sum, propterea quod nullam rem gravius jam diu tuli, quam